



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesisius**

**Sammieli, 1613**

De Simonia in primo & secundo genere spiritualiu[m] c. 88.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

emere calices etiam consecratos,  
eodem pretio quo si non essent  
consecrati.

*De Simonia in primo, & secun-  
do genere spiritualium.*  
Cap. 88.

**V**endere & pretio contra-  
ctare, quæ dicuntur essen-  
tialiter spiritualia, ut virtu-  
tum usus, vel operationes, est si-  
monia, quamvis per modum E-  
leemosynæ, vel spontaneæ largi-  
tionis, aut sustentationis, aliquid  
liceat dare oranti, ieiunanti, audi-  
enti sacrum, &c. \*Secundo huius-  
modi inter se commutare, ut audi-  
te alterius confessionem ut audiat  
tuam, non est simonia: nam talis  
commutatio non est iure diuino,  
neque positivo prohibita, quare  
Conradus, q. 4. sent. distin. 24.  
ar. 3. vbi contrarium scripsit, non



recipitur. \*Tertio nec simonia est pro usu virtutum naturalium, vel eorum labore aliquid accipere, ut ad docendam etiam Theologiam. Quarto, nec pro labore Sacramentorum administrationem antecedenti, vel pro obligatione, qua sacerdos se obligat sacrum administrare, tunc enim tantum suam libertatem vendit. Pro labore autem, tali administrationi annexo, nihil accipere licet, quia vnum & idem est cum ipsa re spirituali, nisi detur vel per modum sustentationis, tunc enim dari potest etiam habenti aliunde reditus, si ratione illorum non teneretur ministrare Sacramenta, ex officio. vel per modum oblationis, aut gratitudinis, &c. Episcopi verò pro collatione ordinum, vel dimissionis, aut sigillo etiam à sponte offerentibus, nihil accipere possunt: sicut neque à Notario pro suo officio ex Trid. sess. 21. Cap. 1. quin imo



& candelæ non sine periculo dan-  
tur. Notarii similiter nihil accipere  
debent pro simili negotio, nisi ubi  
consuetudo fuerit in contrarium,  
ante concilium, aut si salarium nõ  
habeant, & tunc quod accipiunt,  
non debet excedere decimam v-  
nius aurei patrem pro dimissoriis  
& aliis.

*De simonia in tertio genere spi-  
ritualium, Cap. 86.*

**I**N tertio genere rerum spiritua-  
lium, reponuntur, quæ sunt à  
potestate spirituali, ut supra  
cap. 84. quales sunt in voto dispen-  
sare, iuramenta relaxare, à censu-  
ris absoluerè, & templa consecra-  
re: pro quibus non licet Episcopis  
quidquam accipere, vel tanquam  
pretium, vel per modum sustenta-  
tionis, si aliunde habent sustenta-  
tionis redditus, sed tantum si spõ